

PATRONUS.

catholica jus hoc illi quidem servabatur illæsum, sed per leges jubebatur Episcopo hæretico præsentare ministrum hæreticum. Potestne salva conscientia talem præsentare? Num licite a præsentato pro introducta ianu confuetudine recipere remunerationem poterit?

¶. Absque gravissimo peccato in hisce circumstantiis non potest uti jure suo: præsentando enim ministrum hæreticum cooperaretur ad hæresin & animarum perniciem, quod evidenter adversaretur intentioni Ecclesiæ non minus, quam fundatoris ac dotatoris catholici. Dormit interea hoc jus, quod Patronus quidem, ejusque familia semper retinet, eo tamen uti haud poterit, nisi dum regnum volente Deo in finum Ecclesiæ catholice denuo sese repperit, aut catholicum præsentare permisum fuerit. Dein etiam si ipsi in conscientia liceret præsentare ad parochiam ministrum hæreticum, non tamen liceret a præsentato pro præsentatione exigere aut recipere pecunias vel aliud emolummentum: ejusmodi enim turpis ac fôrdida negotiatio vere foret simoniaca, & a mente fundatorum profusa aliena. *De Lamet.* Vide *Patronus cas. 9.*

Vide *Beneficium. Collatio Beneficij. Patronus. Simonia.*

PATRONUS.

1. *Patronus* dicitur, qui habet jus *Patronatus*, seu jus præsentandi ad aliquid *Beneficium*. Patrono competit subfelliū in choro ecclesiæ, & præcedentia in processionibus; ipse primus nominandus ac populo commendandus in precibus publicis; ipsi ante omnes reliquos Laicos offerenda est aqua benedicta, incensum ac panis benedictus, etiam præsente dynasta loci.

2. Patrono ecclesiastico ad præsentandum pro *Beneficio* conceduntur sex menses; laico autem non nisi quatuor. intra quadrimestre hoc nec *Episcopus*, imo in Gallia nec ipse Papa potest conferre *Beneficium* *spreto Patrono laico*.

3. *Patronus ecclesiasticus* scienter præsentans ad *Beneficium* personam indignam, amittit jus præsentandi pro illa tantummodo vice, & devolvitur tunc jus istud ad collatorem ordinarium. Secus se res habet circa *Patronum laicum*: hic enim, cum requiri haud possit in ipso tam exacta notitia de capacitate præsentati, præsentat etiam secunda vice.

PATRONUS.

4. Indignus censetur non ille tantum, qui est ineptus ad exercendas vel implendas obligationes *Beneficij*, sed etiam qui oneribus *Beneficij* haud satisfactorius esse scitur. *Ad Beneficium indigne est*, inquit Polmannus, *qui ineptus est ad præstandum officium incumbens, aut non est illud præstiterus.*

5. In Casu, quo quis vendito suo fundo etiam jus Patronatus in emptorem transtulit, & emptor præsentet ad Beneficium, firma manet præsentatio; licet postmodum emptor ex possessione deliciatur a consanguineo venditoris, jure retractus venditum fundum repetente.

CASUS I. Tichonius Patronus laicus parochie ad S. I. vonem aliquot diebus post elapsum quadrimestre laicis ad nominationem concessum præsentavit Petrum. Sciens id Episcopos parochiam contulit Jacobo, qui absque mora ejusdem possessionem adiit. Petrus autem ab Episcopo rejectus convertit se ad Metropolitanum, ab eoque provisionis litteras obtinuit, ac Jacobum possessione sua dejecturus, actionem illi movet. Quis amborum legitimus est parochus?

¶. Jacobus est solus & legitimus parochus: Tichonio enim utpote Patrono laico quatuor tantum menses ad præstantum concessi sunt, quibus præterlapsis jus ipsius plene devolvebatur ad Episcopum diœcesanum, ut constat ex Decretilibus Cap. *Quoniam.* 3. Lib. 3. Tit. 38. & Cap. *Si laicus unic.* Lib. 3. Tit. 19. in 6. Ipse actus præsentationis necessario debet Episcopo exhiberi ante lapsum horum quatuor mense, qui currere incipiunt a die, quo Patronus habuit, aut verosimiliter habere potuit notitiam de vacatura Beneficij. *Pontas.*

CASUS II. Rambertus parochiam habet, ad quam nominandi jus est penes Dominum loci. Parochus hic Venetas quondam profectus octavo ab adventu suo die ibi vita functus est. Episcopus diœcesanus post quatuor menses & dies aliquot certior factus de Ramberti morte, parochiam confert Juliano; & ex hac collatione Dominus loci primum intelligit mortem Ramberti. Ocyus ergo præsentat Hieronymum, qui non admissus ab Episcopo litteras institutionis a Metropolitanano obtinet. Uternam ex his duobus legitimus est parochus?

¶. Hieronymus pro legitimo parocco habendus est: licet enim a morte Ramberti quatuor jam menses & ultra elapsi fuerint, dum a Domino loci Hieronymus nominatus fuit; quatuor tamen hi menses nona die vacaturæ, sed ab illo die, quo ad Patronum pervenit notitia de obitu Beneficiati, numerandi sunt, ut

PATRONUS.

declarat Innocentius III. Cap. Quia 5. Lib. 3. Tit. 8. ubi ait: *Semestre autem tempus non a tempore vacationis Prabendarum, sed noritice ipsius potius volumus computari. Cum jam Patronus in hoc casu ob loci distantiam ac defectum omnis cum Venetis consuetudinis ac commercii inculpabiliter ignoraverit mortem parochi, jus nominandi nullatenus competit Episcopo, sed novum quadrimestre pro presentatione concedendum est Patrono. Sine culpa, ait regula juris, nisi sub sit causa, non est aliquis puniendus. Pontas.*

CASUS III. Sophocles Patronus laicus ejusdam Capelae reddituum 200. florenorum, ad eam nominavit filium secundogenitum. Estne legalis haec nominatio? Potestne Episcopus juxta leges canonicas presentato conferre hoc Beneficium?

¶. Presentatio haec est legitima; dummodo pater Patronus principaliter non attenderit sanguinem, aut ex alio motivo mere humano fuerit inductus. Sic Glossa in Cap. *Consuluit V. propria auctoritate. & V. Concedant.* Licet Patronus non possit presentare se ipsum, potest tamen juxta *Capitulum L. 2. c. 8. n. 2.* presentare suum filium. *Pontas.*

CASUS IV. Sylverius & Possidius Patroni ejusdam parochiae non conveniebant circa personam presentandam, dum unus nominavit Joannem, & alter Jacobum. Quis horum censendus est legitime presentatus, & habere jus ad parochiam?

2. ALEXANDER III. in Concilio generali Lateranensi tertio Cap. *Quoniam. 3. Lib. 3. Tit. 38.* decidit hanc questionem. Quando Patroni plures dissentient circa nominationem ejusdam ad Beneficium, ad quod presentandi jus cumulativum habent, ille ab Episcopo preferendus est, quo plura stant suffragia, quique meritis altero potior est. Si vero id fieri nequeat absque scandalo, Episcopus Beneficium conferre poterit illi, quem praeceteris dignorem a magis idoneum judicaverit. Et hinc in casu presente, quo quislibet ex duobus unum pro se habet suffragium, provisio ad Episcopum pertinet. Verum si praeter hos duos Patronos adhuc supereffet tertius, & Joannes fuisset presentatus a duobus, Jacobus autem solum a tertio, Joannes solus habendus foret pro legitime nominato. *Pontas.*

CASUS V. Appius gaudens jure Patronatus ad certam parochiam, nominavit Vincentium usque adeo ad curam animarum inhabilem, ut deprehensa in examine ipsis incapacitate fuerit rejectus ab Episcopo, qui pro ipso instituit

Theo-

PATRONUS.

Theodulm. Estne canonica haec Episcopi collatio? Protestne in eadem se tueri Theodulus, & ut parochum se gerere?

¶. Si Appius est Patronus ecclesiasticus, legitima est collatio Episcopi: ecclesiastici enim erat nosse inhabilitatem praesentati; atque pro hac vice Appius excidit jure Patronatus sui. Si autem Appius est Patronus laicus, conceditur ipsi variatio, & Episcopi collatio est nulla, vel potius annullata, id est, non est ipso jure nulla, imo sufficeret adhuc, licet intra quatuor menses Papa provisiones alteri contulisset, casu quo Patronus laicus ad gravamen per collationem Episcopi sibi illatum tacuerit, nec alium primo recusato nominaverit. Verum si Patronus variationis privilegio usus etiam secunda vice praesentasset inhabilem, Episcopus pleno jure posset conferre Beneficium pro suo arbitrio. Notandum est, Patronum laicum, qui praesentavit personam incapacem ad Beneficium, posse secunda vice praesentare eandem, si interea se reddiderit capacem, & terminus ad praesentandum concessus necdum fuerit elapsus. *Pontas.*

CASUS VI. Eunapius Clericus extraneus a Patrono laico praesentatur intra quadrimestre ad quendam Prioratum. Elapso autem quadrimetri eundem Prioratum Episcopus diecesanus jure devolutionis consert Petro sub praetextu, quod Eunapius non sit indigena. Interim vero Eunapius, antequam presentationem exhiberet Episcopo pro impetranda collatione, petiit ac obtinuit litteras naturalisationis. Poteritne hac via salvare ac tueri Eunapius presentationem suam?

¶. Ubicumque extranei sive per leges sive per consuetudinem privati existunt privilegia ac juribus indigenarum, etiam inhabiles censemur ad Beneficia. Obtentis autem a Principe litteris naturalisationis, eo ipso habiles redduntur ad quavis Beneficia; imo poterunt ad illa promoveri ante obtentas illas litteras, dummodo iisdem instructi sint ante suam institutionem, ne ratione alienigenatus possessione sua exturbari possint. Si autem tempore intermedio, id est, currente inter presentationem vel collationem & obtentionem litterarum naturalisationis alius fuisset nominatus ad idem Beneficium, hic verum ad hujusmodi Beneficium consequeretur titulum, & dispensatio Principis quoad hoc extraneo foret inutilis; cum Princeps non possit concedere ejusmodi privilegium in praejudicium juris a tertio aquifiti. Petro ergo facta ab Episcopo collatio Prioratus canonica est

ac legitima ; quia primum post ipsius institutionem Eunapius jure civitatis donatus fuit. *Pontas.*

CASUS VII. Athenogenes Patronus ac Dominus territorialis parochiae promisit Paulo villici sui filio nominationem ad hanc parochiam post obitum moderni parochi, decrepitam jam etatem agentis. An non peccaminosa est haec promissio ? Num Athenogenes post mortem parochi potest eam exequi ?

y. Cum hujusmodi promissiones reprobentur a sacris canonicibus, id absque peccato Athenogenes nec promittere potuit, nec promissum poterit adimplere. *Nulla ecclesiastica ministeria,* inquit Concilium Lateranense sub Alexandro III. Cap. Null. 2. Lib. 3. Tit. 8. seu etiam *Beneficia,* vel *Ecclesiae tribuantur alicui seu promittantur, antequam carent;* ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cuius locum & *Beneficium se crediderit successurum.* Concilium quoque Tridentinum Sess. 24. c. 19. de reform. abolevit omnes gratias *exspectativas,* nec iis exceptis, quae jam ante celebratum hoc Concilium concessae fuerant. *Pontas.* Vide *Collator. cas. 5.*

CASUS VIII. Remigius Patronus ad instantiam cujusdam consanguinei sui presentat ad vacantem parochiam Lucianum, quem non nisi de facie noverat, & utrum sit dignus nec ne, prorsus non sciebat, utpote ex commendatione consanguinei solum intelligens, quod esset vir perquam honestus. An non temere ac peccaminose egit ?

y. Certe peccavit graviter Remigius ad Beneficium curatum nominans quemquam, de cuius idoneitate moralem non habebat certitudinem. Verum quidem est, Episcopum posse denegare collationem ac institutionem, si deprehenderit, presentatum non esse dignum ; verum non minor est obligatio etiam Patroni virum praesentandi idoneum. Et sane, cum Collator Beneficii ac Patronus sit dispensator bonorum Ecclesiae, non minus fidelitatis in hac dispensatione exhibere, nec minorem ad procurandos Ecclesiae bonos ministros sollicitudinem gerere tenetur, quam ad bonam administrationem bonorum suorum priorum ac negotiorum temporalium : jam vero quis sane mentis honorum suorum & negotiorum temporalium gubernationem vellet committere homini, de cuius habilitate ac fidelitate nullam habaret certitudinem ? *Pontas.*

CASUS IX. Framburgus Toparcha Anglus religionem Romano - catholicam professus habet jus Patronatus ad parochiam in dioecesi Rocestriensi siti. Verum juxta leges Anglicanas Patroni adhuc quidem gaudent jure suo, quod an-

te

te introductam haeresin ipsis competebat ; attamen non licet hisdem praesentare catholicum. Framburgus igitur Episcopo haeretico praesentavit subiectum pariter haereticum unice ex hoc motivo, ut conservet jus suum eo usque, donec fors Religio catholica in Anglia restituatur. Licitene sic usus est jure suo ?

y. Juxta S. Beuve Tom. 3. Cas. 60. nulla prorsus ratione a peccato excusari potest haec Framburgi praesentatio. Vel enim praesentavit haereticum vi potestatis sibi aut antecessoribus suis ab Ecclesia catholica collatae, an vero in virtute concessionis a Rege vel supremo Angliae Senatu tibi factae ? Neutrum dici potest : nam in primo casu ab Ecclesia catholica non obtinuit potestatem nisi nominandi ministerium catholicum ; in altero autem casu Rex Angliae aut supremus Regni Senatus nec potuit ipse dare, nec ipse ab iis acceptare jus praesentandi Episcopo haeretico ministerium pariter haereticum : acceptando enim tale jus ab haereticis communicaret cum iis in re spirituali. Adeoque Framburgus graviter peccavit praesentando haereticum, quod fieri haud potuit sine maxima injuria in Religionem & Ecclesiam. *Pontas.*

NOTA. Videtur & oppositum defendi posse ex praxi Germanie, ubi non nunquam Protestantes praesentant ad ecclesias Catholicorum, & Catholici ad ecclesias Protestantum ex jure eorum familiis aquifito, dum adhuc una eadem vigeat Religio. Imo & in Anglia inter Patronos catholicos ab eversione Religionis usus erat nominandi ministros acatholicos, legibus recentioribus ita exigentibus. Neque ejusmodi praesentatio arguit in estimatione moralis communicationem in Divinis cum haereticis, aut cooperationem ad eorum Sacra, & exercitium Religionis; alioquin & Princeps permittens hoc exercitium, vel reducens haereticos ad suas ecclesias cooperaretur : cooperari enim dicit actionem libere & sponte positam, non metu majorum malorum extortam, nisi indecentia ejusmodi extortae actionis tanta sit, ut in animis hominum nulla ratione purgari, & contemptus Religionis vitari non possit. Adeo, id etiam verae Ecclesiae videri exoptabilius, dum Catholicis occasionem nanciscuntur constituendi ministros praeterea honestiores, magis discretos, moderatores ac sapientiores, de quibus spes est, quod in recognitionem gratiae concessio Beneficio sibi factae in omni pace ac quiete cum Catholicis couerfatur sint. Hic tamen non obstantibus sententiæ Pontasist videtur inhærendum. Vide *Patronatus. cas. 13.*

CASUS X. Eleonorus Patronus laicus cujusdam ecclesie parochialis urgente praesentandi necessitate constrictus, ne alioquin amittat jus suum, si diutius differendo finaret effluere quadrimestre, de quo pauci tantum dies supererant,

nomi-

nominavit Eustachium amicum suum hac conditione, ut eo usque tantum retineret titulum, parochumque se geret, donec personam dignam reperisset ipsi subrogandam. Consensit in conditionem hanc Eustachius, reddidique paulo post parochiam Eleonoram, qui ad eandem præsentavit Dionysium virum & scientia & pietate conspicuum. Latetne quid vitii in hoc agendi modo?

¶ Respectu Eleonori reprehensione dignum est, quod egerit in præjudicium collatoris ordinarii, ad quem post lapsum quatuor menium integrum jus conferendi parochiam trahierat, & per fraudem id efficerit, ut elapso jam quadrimestri sibi adhuc jus supereffet præsentandi. Dein modus hic agendi est confidentialis; cum Eustachius non nisi eo pacto fuerit præsentatus, ut mox iterum Eleonoro occasio daretur exercendi jus Patronatus sui. Ejusdem, ni pejoris, furfuri Eustachius esse deprehenditur: reddidit enim se complicem injurie collatori ordinario illatae. Ad hæc acceptavit parochiam cum formalí intentione & promulgo eam solum ad tempus retinendi, & mox iterum cedendi alteri eligendo ab Eleonoro. Denique supposito etiam, quod non commiserit simoniam confidentialē, non potuit tamen acceptare parochiam absque seria voluntate curæ parochialis onera implendi; cum juxta Cap. Super. 35. Lib. 3. Tit. 5. illi sint in Ecclesiis idonei reputandi, qui servire possunt & volant in ipsis. Pontas.

CASUS XI. Petilianus pupillus septem aut octo annorum, habens jus Patronatus ad quamdam Capellam simplicem, præsentavit aliquem ex suis consanguineis, tutore ipsius nominante alium. Estne nulla pupilli præsentatio?

¶ Juxta Fagnanum in C. Indecorum 3. de ætat. & qualit. & ord. præficiend. pupillus septimum ætatis annum egredius valide potest præsentare. Pupillus, ait, major septennio potest præsentare & nominare. Et quod amplius est, si concurrat cum eius tutore, præfertur præsentatus a pupillo. In Gallia autem tutores jus præsentandi habent, & non pupilli. Pontas.

Nota. Re ipsa rationi haud videtur satis consonum, ut pupillus, qui se ipsum, res suas privatas ac bona temporalia regere haud potest, idoneus habeatur ad constituendos rectores Beneficiorum ecclesiasticorum.

CASUS XII. Fiacrius Patronus ecclesiasticus cujusdam parochiæ jus præsentandi ad eam exercuit actuali irregularitate innodatus. Valetne hæc præsentatio?

¶ Irregularitas Patroni non obstat valori præsentationis: præsentare enim ad Beneficium non est actus Ordinis, cum & laicus præsentare possit. Quemadmodum Ecclesiasticus ob irregularitatem non privatur potestate ferendi censuram excommunicationis, eligendi ad Beneficium, assistendi ut testis publicus matrimonio juxta magis probatam opinionem, & tandem exercendi quosvis actus jurisdictionis, in quibus nullum intervenit exercitium Ordinis; ita etiam nul latenus potest censi privatus jure præsentandi ad Beneficium suæ nominationis. Pontas.

CASUS XIII. Fabius presbyter Patronus cujusdam ecclesiæ parochialis, ea vacante nominat semet ipsum, sicutque se Episcopo instituendum. Estne canonica hæc nominatio? Potestne Episcopus ipsi concedere provisionem hujus Beneficij?

¶ Nominatio hæc nec canonica nec valida est; nec etiam Episcopus Patrono semet ipsum præsentanti potest conferre Beneficium. Cum igitur nullus se ingerere debeat ecclesiastice Prælationis officiis, respondemus, inquit Innocentius III. Cap. Per nostras 26. Lib. 3. Tit. 38. quod nullus se potest ad personatum alicuius ecclesiæ præsentare, quantumcumque idoneus sit. Et quibuscumque studiis & meritis adjuvetur. Cum, ut idem Pontifex ait Cap. Cum ad nostram. fin. Lib 3. Tit. 7. interdantem & accipientem debeat esse distinctio personalis. Notandum tamen, quod, si plures sint Patroni ejusdem Beneficij, unus possit valide præsentare suum conpatronum. Pontas.

CASUS XIV. Honorius Abbas habens jus præsentandi ad quamdam parochiam, per instrumentum publicum nominavit Rogerium, qui & acceptavit præsentationem. At vero instrumentum illud fuit secreto habitum, nec ad eujuspiam notitiam pervenit durante toto semestri, quod Patronis ecclesiasticis ad præsentandum conceditur. Episcopus ergo, cui pariter ignotum erat instrumentum, parochiam contulit Juliano. Estne legitima hæc collatio?

¶ Est legitima & canonica: non enim sufficit, quod Patronus præsentaverit, ut communis Canonistarum fert opinio; sed insuper necesse est, ut præsentationis instrumentum intra præscriptum tempus Episcopo exhibeat. Pontas.

CASUS XV. Iphigenia virgo perillustris jure hæreditario obtinuit prædium, cui annexum est jus Patronatus ad parochiam. Potestne Episcopo valide præsentare Clericum idoneum, & a probitate morum commendatum?

PATRONUS.

¶. Fœminæ &que ac mares possunt exercere jus Patronatus : cum enim jus non excludat eas , eo ipso comprehensa censentur sub numero Patronorum juxta regulam juris 15. in 6. *Ubi jus non distinguit , nec nos distinguere debemus.* Hinc Iphigenia valide & canonice præsentat ad parochiam. Dantur re ipsa ubivis plurimæ Abbatisæ , quæ absque ulla controversia gaudent hoc jure. *Pontas.*

CASUS XVI. Hannibal dominus ac simul Patronus honorarius cuiusdam parochiæ prætendit sibi honores Patronis in ecclesiis sui Patronatus alias exhiberi solitos , & quidem ex ea ratione , quod protoparentes ipsius fuerint veri Patroni , nec ob aliam causam jus suum Episcopo cesserint , nisi ut in nominatione parochorum conscientias suas non laderent. Parochus autem petitos ipsi honores ac prærogativas constanter denegat ; eo quod Beneficium suum ex libera collatione Episcopi teneat. Cujusnam jus prævalet ?

¶. Parochus injuste denegat honores ac prærogativas , quas sibi in ecclesia deferendos merito postulat Hannibal : redditus quippe suos , saltē ex parte , habet ex liberalitate protoparentum Hannibalis , qui cedentes Episcopo jus suum , aliunde sibi reservasse honores censentur. *Pontas.*

CASUS XVII. Heraldus vitiæ emptionis titulo ditio nem quamdam possidet , & vi juris huic ditioni annexi ad parochiam eo ipso tempore vacantem præsentat idoneum Clericum. Paulo post evincitur hæc ditio , & resciſſo priori contractu novus possessor etiam factam ab Heraldo præsentationem fuisse nullam contendit. Num jure ?

¶. Juxta principia juris actus interdum censetur validus & legitimus , licet exercitus ab eo , qui eundem exercendi potestate carebat , ut patet ex Lege Barbarius . 3. ff. Lib. 1. Tit. 14. & aliunde notum ac communiter receptum illud est : *Circa factum error communis facit jus.* Cum igitur Heraldus communiter fuerit habitus pro posseſſore fundi & juris Patronatus eidem annexi , præsentatio quoque ab ipso facta pro valida & legitima habenda est. Id ipsum decidit Alexander III. in Cap. Consultationibus . 19. Lib. 3. Tit. 38. ubi ait : *Si aliquis Clericus ab ordinario judge in ecclesia fuerit institutus ad præsentationem illius , qui ejusdem ecclesie videbatur esse Patronus , & postea jus Patronatus alius evicerit in judicio , institutus non debet ab ipsa propter hoc removeri , si tempore præsentationis facta , ille qui eum præsentavit , jus Patronatus ecclesie possidebat ; cum ex hoc ei , qui de jure debet habere , nullum in posterum præjudicium generetur.* *Pontas.*

Nota.

PATRONUS.

Nota. Si lis jam copta fuisset ante præsentationem , præsentatus interim admitti posset titulo provisorio.

CASUS XVIII. Majolus & Malerius hæredes Pauli Patroni cuiusdam Capellæ 300. florenorum annuorum proveniunt cum diu altercarentur quoad jus Patronatus , tandem convenerunt , ut unus post alterum , id est , alternatim ambo illud exerceerent. Estne hæc conventio conformis legibus canoniciis ?

¶. Quamvis jus Patronatus in se sit indivisibile , ita ut non ambo hæredes possint præsentare duos Capellanos divisuros inter se Capellæ redditus , hoc tamen jure gaudere possunt duæ vel plures personæ , alternative illud exerciture ; & in hoc casu integrum jus penes illum tantum erit , quem conventus ordo ad præsentandum vocat. Memorata igitur conventio legibus canoniciis non refragatur. *Pontas.*

CASUS XIX. Thisias pagi ad S. Avitum dominus cum consensu Episcopi extruendam curavit ecclesiam parochialem , eidemque satis amplam dotem assignavit , ea tamen conditione , ut in casu vacaturæ jus haberet præsentandi ad parochiam , ac post obitum suum in idem jus conjunctim exercendum succederent liberi. Post lapsum annorum duodecim moritur Thisias decem post se relictis liberis , & vacat parochia. Liberi autem in causa præsentationis non conveniunt : quinque enim eorum præsentant Joannem , tres Petrum , & duo reliqui Paulum. Quisnam ex hisce tribus est legitime præsentatus ?

¶. Si quinque illi , qui nominarunt Joannem , egerunt collegialiter , in præsentia scilicet quinque reliquorum , aut iis saltē debito modo vocatis , eti absentiis , sola nominatio Joannis est legitima : ingens enim discriminis est inter electionem & præsentationem , in electione , ut sit canonica , major electorum pars ad unum eundemque eligendum debet concurrere , quod jura in præsentatione non requirunt. Quod si vero præsentatio Joannis facta & signata fuisset privatim , nulla foret ; sicut etiam si quinque illi , a quibus fuit præsentatus , noluissent comparere in loco ad actum præsentationis ex communi consensu destinato , ibi autem cæteri quinque convenissent , nominatio Petri a tribus facta foret legitima. *Pontas.*

CASUS XX. Polyhistor Patronus laicus & Diomedes Patronus ecclesiasticus cuiusdam parochiæ habent jus præstanti ad eam per turnum. Vacabat hoc Beneficium , quo tempore ad Diomedem pertinebat nominatio ; verum nequam facta a Diomede præsentatione , Papa eum prævenit *Dicit. Cap. Conf. Tom. 114.*

&

PAUPERTAS RELIGIOSA.

& confert Beneficium. Estne valida collatio Papæ? Et supposito, quod valida sit, exciditne ob hanc præventionem Papæ taliter jure suo Diomedes, ut proxime vacante parochia præsentandi jus statim devolvatur ad Polyhistorem?

P. Collatio Papæ certo est valida & canonica; cum Papa absque ulla controvergia habeat jus præventionis contra omnes Patronos ecclesiasticos. Diomedes pro hac vice amittit jus suum, quod, si iterum contingat post tempus vacare Beneficium, immediate transit ad Polyhistorem. Privilegia Patronatus laici, ut ait Fevretus L. 2. c. 6, n. 13. non amittuntur per adjunctum Clericum. *Pontas.*

CASUS XXI. Gerulus & Gildas cognati germani simul Patroni ad quamdam parœciam, cum ea vacante convenire non possent in causa præsentationis, Gerulus ad conservandam pacem cedit jus suum Gildæ. Potuitne id fieri absque consensu Episcopi diœcesani?

P. Cum Gildas sit compatrionus cum Gerulo, nil prohibet, quo minus hic ipsi possit cedere jus suum: non enim hac cessione instituitur novus Patronus, sed jus divlsum inter duos transfertur in unum. Idem patet ex Cap. Ex insinuatione. 14. Lib. 3. Tit. 38. Si tamen Gildas non fuisset conpatronus, Gerulus non potuisset in eum transferre jus suum sine autoritate Episcopi; ut eruitur ex Cap. Nullus. 17. ibid. *Pontas.*

Vide Beneficium. Collatio Beneficii. Patronatus. Provisio. Simonia.

PAUPERTAS RELIGIOSA.

1. Vici sancti semper deprædicarunt paupertatem tanquam religiosi status opulentiam. Certe S. Benedictus vult, ut Religiosi nil proprii possideant, & rebus omnibus absque ulla exceptione se abdicent.

2. Proprietas nunquam non fuit habita pro detestabili viito in viris religiosis. Canones expresse prohibit, ne Religiosi habeant proprium, contra votum solemne paupertatis ab iis emissum.

3. Concilium Tridentinum renovavit antiquos canones, quibus Regularibus omnibus interdicitur occulta retentio vel posseſſio cujuscumque rei mobilis vel immobilis, sub pena amissionis seu privationis vocis activæ & passivæ in Capitulo juxta constitutiones cuilibet Ordini religioso proprias.

PECCATOR CONSUEUDINARIUS.

CASUS I. Kunegundes proxime nuncupatura Deo vota solempnia in Ordine S. Benedicti sollicitavit patrem suum, ut sibi crearet pensionem 100. florenorum, de qua cum consensu Superiorissæ ad personales suas necessitates possit pro libita disponere; simulque clausulam adderet contractui, ut, si forte transiret ad aliud monasterium, pensio ut antea continuaretur, eamque sequeretur. Consenſit pater. Num vitiosum quid in hac pensione?

P. Certum est, Kunegundem absque peccato non potuisse hoc modo petere pensionem a patre, ut pro suo arbitrio de ea disponere posset: id enim evidenter sapit spiritum proprietatis contra votum solemne paupertatis. Nec pater potuit consentire in hanc pensionem; sed eam relinquere debuisset monasterio pro veris filiæ suæ necessitatibus. *Pontas.*

CASUS II. Moniales tertii Ordinis S. Francisci possuntne disponere de fructibus laborum suorum manualium?

P. Si constitutiones Ordinis, quæ ejusmodi dispositiōnem permittunt, sunt approbatæ a Sede Apostolica, possunt disponere; si vero tantum sint approbatæ a Superioribus Ordinis, reducendæ sunt ad ea, quæ a Concilio Tridentino desuper decreta fuerunt. *Fromageau.*

NOTA. Canonici Regulares ante Tridentinum paſſim habuerunt dominium bonorum ligatum, hoc est, absque usu & dispositione libera in commodum proprium, ut olim Jesuitæ necdum admissi ad secundam professionem.

Vide Monialis. Profissio religiosa. Religiosus. Votum.

PECCATOR CONSUEUDINARIUS.

Sermo hic est de actibus peccaminosis frequentatis, ex quibus pravus habitus, seu consuetudo peccandi contrahitur, unde peccator dicitur consuetudinarius.

CASUS I. Petrus habitualiter omittit Sacrum diebus Dominicis ac festis; eo quod domus illius dimidia circiter leuca distet ab ecclesia parochiali. Peccatum graviter?

P. Potest quandoque intervenire circumstantia excusans ab obligatione hic & nunc audiendi missam; sed habitualis omissione non solum missæ parochialis, sed & verbi divini, certe est peccatum grave. Dicta distantia seorsim spectata non adeo grave involvit incommodum, ut generatim ab ob-

PECCATOR PUBLICUS.

Ligatione servandi præceptum ecclesiasticum eximere possit. Hinc si alia legitima causa non obversetur, Petrus singulis Dominicis ac festis de præcepto tenetur interesse Sacro. C.B.

NOTA. Idem dicendum de iis, qui sub prætextu custodiendæ domus cessante periculo ordinarie absunt a Divinis parochialibus.

CASUS II. Rodericus juvenis habens consuetudinem in peccato mollitiei confitetur in paschate pollutiones admissas; interrogatus autem a confessario de consuetudine eandem recitet, timens, ne ultra tempus paschale absolutio sibi differatur: habet tamen efficax propositum non amplius peccandi. Estne confessio valida?

¶. Est invalida. Ratio deducitur ex propositione 58. damnata ab Innocentio XI. vi cuius poenitens tenetur interroganti confessario fateri consuetudinem. Unde confessio haec est sacrilega; nisi fors juvenem excusat ignorantia. Nec juvat efficax propositum non amplius peccandi ac depoñendi consuetudinem; quia in id ipsum indagandi jus habet confessarius. C.B.

CASUS III. Carpophorus confessarius ad eradicandam in poenitente pravam consuetudinem proferendi verba obscena ac turpia, pro poenitentia ipsi injungit, ut toties lingua formet crucem in terra aut pavimento, quoties impostorum similia protulerit. Teneturne poenitens acceptare hanc poenitentiam?

¶. Si id confessario videatur necessarium, ac eam illi poenitentiam injungit cum discretione ad aliquod tempus v. g. usque ad proximam confessionem, & quidem exequendam in circumstantiis, in quibus ab aliis notari hand possit, poenitens tenetur eam acceptare; quia tenetur obedire confessario non solum ut judici, sed etiam ut medico suo. C.B.

NOTA. Poenitentiae injunctæ non solum considerande sunt tanquam leges, sed etiam tanquam conditions pacis inter Deum & peccatorem restituendæ juxta illud: *Quæ retinueritis, retenta sunt.*

Vide *Absolutio. Confessarius. Confessio. Jubilæum. Peccatum.*

PECCATOR PUBLICUS.

I. Præter diversa illa peccatorum genera & species in sequente articulo PECCATUM enumerandas, datur etiam peccatum occultum & peccatum publicum seu illud, ex quo quis

PECCATOR PUBLICUS.

quis dicitur, *peccator publicus*, sive dein declaretur ut talis per legitimam sententiam, sive peccatum ipsius sit notum tantæ hominum multitudini, ut nulla jam ratione negari aut excusari possit.

2. Quamvis juxta disciplinam Galliæ in foro externo nemō habeatur pro peccatore publico, nisi qui ut talis fuerit declaratus per sententiam judicialem, vel per propriam confessionem coram judge, vel denique per evidenter facti junctam certis formalitatibus, quas in quibusdam casibus vel consuetudo vel leges requirunt; nihilominus tamen dantur complures casus, in quibus quis habetur pro peccatore publico, quando ipsius crimen vergit in scandalum communitatii saltem ex decem vel duodecim personis constanti, nec a' ier reparari potest quam per satisfactionem publicam, considerata qualitate criminis, personæ, temporis, loci, aliarumque circumstantiarum facti. *Cujuscumque poenitentis*, inquit Concilium Carthaginense III. Can. Presbyter. fin. 26. q. 6. *publicum & vulgatissimum crimen est, quod universam commoverit Ecclesiam.*

3. Disciplina circa poenitentias publicas, quæ imponebantur pro certis peccatis; primis Ecclesiæ saeculis erat longe diversa ab ea modernorum temporum: tunc enim rigorissima poenitentiae opera, & quidem potissimum per plures annos continuos, peccatoribus subeunda erant; quæ licet in omnibus ecclesiis non fuerint eadem, id tamen communiter receptum erat, ut peccatores quatuor poenitentiae gradus exantiare deberent, donec ad reconciliationem ac communionem cum cæteris fidellibus pertingere possent. Primus gradus erat *flentium*, qui flexis genibus sub dio constituti hærelant extra portam ecclesiæ ut indigni, qui in eam ingredierentur. Secundus erat *audientium*, qui quidem in ecclesiæ admittebantur exhortationes audituri, quæ ipsis fiebant, non tamen ultra vestibulum progrederi, nec publicarum precum participes esse permittebantur. Tertius gradus erat *prostratorum*, qui quidem precum publicarum participes fiebant, imo & Missæ intererant usque ad Evangelium tantum: sed antequam ex ecclesia discedere jubebantur, sacerdos super eos quasdam preces recitabat, sub quibus toto corpore in faciem prostrati in conspectu omnium decumbebant, unde & nomen fortiti sunt. Quartus denique erat *confidentium*, qui divinis officiis & ipsi sacrificio Missæ intererant, non tamen ad sacram Communionem admittebantur, nisi post præscriptum in eo gradu temporis intervallum. Hanc antiquam severitatem mitigavit Ecclesia liberorum suorum

rum infirmitatem miserata : idem tamen semper fuit & etiamnum est spiritus disciplinæ ecclesiasticæ , vi cuius peccatoribus publicis injungendæ sunt pœnitentiæ publicæ , ut patet ex decreto Concilii Tridentini Sess. 24. de refor. c. 8. ubi ait : *Apostolus monet , publice peccantes palam esse corripendos. Quando igitur ab aliquo publico & in multorum conspectu crimen commissum fuerit , unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum , huic condignam pro modo culpe pœnitentiam publice injungi oportet ; ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit , juxæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit committare , quando ita magis judicaverit expedire. Simplex ergo confessarius , si semel pro peccato publico imposuit pœnitentiam publicam , eam mutare hanc amplius poterit in secretam absque auctoritate Episcopi.*

4. Sunt autem casas extraordinarii v. g. duellorum , publicarum inimicitiarum inter propinquos , divoritorum &c. in quibus tam parochi quam confessarii difficultatis plurimum frequenter experiri solent , tum quod haud facile determinari possit congrua pœnitentia , tum quod ad eam acceptandam æge inducantur pœnitentes ; in hisce & similibus sane periculosis foret proprio fidere judicio , privatoque agere ex arbitrio . Hinc in ejusmodi eventibus maximi momenti recurrendum ad Episcopum , ipsiusque consilium inquirendum , ac executioni dandum erit , præsertim moderno tempore , ubi tam parum religionis , obedientiae ac pletatis deprehenditur in peccatoribus , & consequenter vel ex hoc capite benignius , indulgentiusque cum illis agendum est , ut ad Deum redeant , suumque reducantur ad officium.

5. Notandum hic , in Ecclesia orientali nunquam præscribi pœnitentiam publicam in ecclesia peragendam , sed solum domi , ita ut peccator publicus pœnitentiae suæ testes alios non habeat , nisi domesticos suos , uxorem , liberos , famulos & ancillas.

CASUS I. Hebertus nummularius , publicus usurarius , a multis annis in tota urbe pro tali habitus , & duabus Magistratus sententiis notatus atque condemnatus , tempore paschali pro deponenda confessione adiit parochiæ vicarium , qui ipsi facto de non amplius committenta usura promisso absolutionem impertiit . Post hæc cum multis aliis ad mensam eucharisticam pro communione paschali se fisiit . At vero parochus utut bene gnarus , Hebertum fuisse confessum , a

sacra

sacra tamen mensa illum repellit . Potuitne parochus ita age re tuta conscientia ?

¶. Non tantum potuit , sed etiam debuit parochus ipsum repellere a sacra communione , nisi interrogatus antea Hebertus publice declaraverit , se modo confessum sincere ac pro semper renunciasse sordido suo commercio . Ad hoc , ut ad sacram communionem admittatur peccator publicus , nequam sufficit , quod fuerit absolutus , sed etiam requiritur , ut publica quadam satisfactione reparet scandalum publicum a fe datum ; imo etiam absolutio ipsi negari debet , si ejusmodi satisfactionem promittere nolit . Responso haec fundatur in doctrina S. Thomæ , qui peccatores publicos quoescumque demum nunquam docet admittendos ad S. Communionem , sive sint tales notorietate facti , sive per sententiam judicis ecclesiastici vel secularis . Sic ait part. 3. q. 80. art. 6. C. Circa peccatores distinguendum est : quidam enim sunt acuti , quidam vero manifesti , scilicet per evidentiam facti , sicut publici usurarii aut publici raptiores , vel etiam per aliquod judicium ecclesiasticum vel fœculare . Manifestis ergo peccatoribus non debet etiam potentibus sacra communio dari . Confirmat S. Doctor doctrinam suam auctoritate S. Cypriani & S. Chrysostomi . In Gallia tamen , ubi solum peccator publicus esse constet , qui sententia judiciali talis declaratus & condemnatus est , parochus reprehensioni , imo & condemnationi se exponeret propter scandalum ex denegatione Sacramenti publica exortum , si ob solam notorietatem facti quedam ut peccatorem publicum publice a sacra communione excluderet . His autem insuperhabitis absolute dicendum , etiam parochum Gallum , quamvis in foro externo reprobaretur , iuo deesse officio ac obligationi , si peccatorem publicum etiam ex sola notorietate facti talem ad sacram communionem admitteret : leges enim civiles etiam in Gallia nil immutare possunt circa ea , quæ jure divino prohibentur . Quod bene notandum , parochio hisce circumstantiis comprehenso , antequam publice Sacramentum denegetur , haec tria observanda sunt : 1. Charitatively ac secreto moneat hujusmodi peccatorem de malo perpetrato , ac scandalo dato , eumque suaviter ad emendationem vitæ exhortetur . 2. In publicis exhortationibus generatim condemnet abusum SS. Sacramenti , cuius se reos faciunt ejusmodi scandalosi peccatores , neminem tamen in particulari nec a longe manifestando . 3. Consulat Episcopum suum , ejusque iussa fideliter exequatur . Pontas .